



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 6. De Angelis in Scala Ascendentibus. Quo agitur de recipiendis in
Virginum numerum, & de earumdem Profectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

eodem ; *Regina Virtutum & possessio omnium bonorum.*

§. VI.

De Angelis in Scala ascendentibus.

Angelos in Scala vidimus, sequitur ut eosdem Ascendentes contemplemur : quos dum vobis conor ostendere, ecce prima occurrit primum pedem huic Scalæ imponens (cujus memoriam agit Ecclesia) ^{21. Novemb.} beatissima Virgo Maria, quam Virginum Matrem ac Magistram multis probat D. Ambrosius, *Hæc est imago Virginitatis*, scribens inter alia, *Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit.* Neque illa occurrit sola, sed & piissimi ejusdem parentes Joachim & Anna, hanc unicam suam filiam, & unicè dilectam gratissimo spectaculo adducentes ad hanc Scalam, eamque dum in Templo Solymæ præsentant, in illam erigentes ac collocantes. Quo spectaculo *ab Ascendentibus divertimur ad Ascensuras* earumque parentes, atque ab hisce detinemur : quibus, Virgines ad hæc Scalas conscendendas pelliciens, hoc eorum exemplum æmulari multis suadet Apostolus, tandemque concludit : *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit meliùs facit.* ^{1 Cor. 7. vers. 38.} Quis namque matrimonii finis ? nonne ut proles suscitentur quæ hîc deserviant Deo, & in Cœlo eundem collaudent ? Ubi autem id meliùs fiet, an si in pèstilenti seculi aura maneant, vel si se Deo consecrent ? Apostolus, qui se spiritum Dei habere putabat, statum Virginalem præfert : „ (Lau- ^{1 Cor. 7 :} do nuptias, laudo conjugium, sed quia mihi Virgi- ^{40.} nes generant : Lego de Spinis Rosam, de terra aurum,

Epist. 22.
ad Eu-
stoch.

rum, de concha margaritam, scribit S. Hieronymus, „
Apostolo concinens) ideóque si ad hunc suas paren-
tes inducant; atque ad Scalas hasce adducant, melius
facient, & ut faciant hortatur. „ Bonum si Virgi-
ni studia parentum, quasi flabra pudoris aspirent; „
sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis etiam si-
ne veteribus nutrimentis spontè se rapiat in fomi-
tem castitatis, monet D. Ambrosius. Inducere pos-
sunt parentes, sed cogere non debent; neque debet
sequi filia vota parentum, nisi invitari se à Domino
Scalæ nostræ innixo agnoscat, atque ad ascensum à
Deo se trahi sentiat, nam, *non omnes capiunt verbum*

L. 1. de
Virgin.

Matth. 19:
11.
Joan. 6:
44.

istud, sed quibus datum est; inquit Salvator. Et, *nemo
potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit
eum*. Etenim vocanti Deo reluctari malum est, ac si-
ne ejusdem vocatione hisce Scalis imponi invitam æ-
què malum. Vidistis aliquando pueros invitos ac re-
luctantes aliquórfum protrahi, at dum dimittuntur,
manent ubi sunt: Vidistis tum ipsissimam earum
imaginem, quæ absque Dei vocatione ad hasce Sca-
las deducuntur: non vel pedem promovent: aliis
sunt impedimento, & suis Superioribus oneri ac do-
lori: cui malo ut occurratur ad Amphilochem Ico-
nii Episcopum hæc præscribit S. Basilius: „ Non „

Epist. 1.
Canonica
can. 18.

pueriles voces omnino in his esse ratas existimare „
oportet, sed eam quæ supra 16. vel 17. annos nata „
fuerit, rationisque compos & diu examinata proba- „
tæque perseveraverit, & ut admittatur precibus „
contendit: tum oportet in sacrarum Virginum ca- „
talogum referri ejusque confessionem comproba- „
re: multas enim parentes & fratres offerunt, & qui- „
dam eorum, qui eas cognatione attingunt, ante æ- „
tatem

tatem

„tatem non ad cœlibatum ex seipsis incitatas, sed ali-
 „quid, quod ad victum suum pertinet, procurantes :
 „quas non facillè admittere oportet, donec apertè
 „propriam suam sententiam perscrutati fuerimus.
 hæc ille. Et quia sæpius deficiunt Sacerdotes, æquè
 prurientes ad Virginum acceptationem ac parentes
 ad earundem oblationem, *David*, qui numero gau-
 dent, non *Gedeones*, qui animos respiciunt. Dumque
 rara solatia eæ ab intus habent nec superiores suos ad-
 nutum, instar puerorum quibus caput morosum hæ-
 rent sine ullo profectu, obmurmurant & recalcitrant.
 Gratus Deo Sacerdotum zelus pro augmento Vir-
 ginum, si fit secundum scientiam : grata etiam Deo
 parentum vota, dummodo ex sincera oriantur inten-
 tione, quibus quoque ut plurimum annuit : patet id
 in S. Monica Matre D. Augustini : in genitrice S.
 Bernardi, quæ proles recens natas brachiis complexa
 Deo devovebat, & eo quidem fructu, ut omnes sep-
 tem Sanctitate celebres obierint : In Francisco Sale-
 fio, quem, ut se gravidam sensit, divino cultui desti-
 naverat parens : qui proinde consilium illud paren-
 tibus omnibus suggerit. Nemo itaque filias suas
 Deo obtrudat, sed si vocet, si trahat eas, ut suam Jo-
 achim & Anna adducant, & Scalæ huic imponant :
 insuper nemo reluctetur, & ab ascensu retrahat ascen-
 suras : quales, cum tempore D. Ambrosii plures in-
 venirentur Mediolani, graviter in eas invehitur.
 „Plerasque Virgines cognovi velle, & prohiberi et-
 „iam prodire à matribus (ne scilicet eum audirent
 „Virginitatis præconem) & quod est gravius Vidu-
 „is, cum quibus hic mihi sermo est : nempe si homi-
 „nem amarent filia vestra per legem possent eligere
 quem

*In Vita
ejus l. 1.*

*Intrao.
p. 3. c. 3 7.*

*L. 1. de
Virgin.*

Epist. ad
Eustoch.

quem vellent : quibus igitur hominem eligere li-
cet, Deum non licet ? Quid invides mater filiæ ?
(Scribit S. Hieronymus) tuo lacte nutrita est, tuis
educata visceribus, in tuo adolevit sinu, tu illam
virginem sedulâ pietate servasti : indignaris quòd
noluit militis esse uxor, sed Regis ? grande tibi be-
neficium præstitit, focrus Dei esse cœpisti. Ideoque
dæmonum agit partes, quisquis hic luctatur cum
Deo : Illius namque studium est dissuadere quæ
Deus suadet, revocare ab illa via, quam ad salutem
necessariam seu utilem Deus proponit : *Inimici ho-*

Matth. 10: mines domestici ejus. Monet proinde præ-
cit. 36.

L. 1. de
Virg.

Antistes, ne Virgines cedant, parentumque con-
tradictiones quodammodo excusat. „ Contradi-
cunt parentes, sed volunt vinci : resistunt primò
qui credere timent : indignantur frequenter, ut
discas vincere : abdicationem minantur, ut tentent
si potes damna seculi non timere : quæsitis blandi-
untur illecebris, ut videant si variarum mollire te
non queat blanditia voluptatum. Exerceris Virgo
dum cogaris, & hæc tibi prima certamina anxia pa-
rentum vota proponunt. Excusabilis contradictio
si hoc intuitu fiat, sin minùs prope in januis solet esse

Job 9: 4.

divina vindicta : *Quis namque restitit Deo & pacem
habuit ?* Illustre exemplum concludit apud eundem
Antistitem propositam doctrinam, quod Virginis
constantiam firmet & refractariorum pœnam pro-
bet, quod ex eodem totidem verbis transcribo :

L. 1. de
Virg.

Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in seculo,
nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à pa-
rentibus & propinquis, ad sacrosanctum Altare,
confugit : quò enim meliùs Virgo recurreret,
quàm

„quàm ubi sacrarium Virginitatis offertur? ne is
 „quidem finis audaciæ, stabat ad Aram Dei, pudor-
 „ris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram
 „Sacerdotis imponens, precem poscens: nunc justæ
 „impatiens moræ ac summum Altari subjecta verti-
 „cem, num meliùs (inquit) mater tu me quàm Al-
 „tare velabis, quod sanctificat ipsa velamina? plus
 „talis decet flammeus, in quo caput omnium Chri-
 „stus quotidie consecratur. Quid agitis vos propin-
 „qui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis
 „animum? jam dudum provisus habeo. Sponsum
 „offertis? meliorem reperi: quolibet exaggerate di-
 „vitiis, jactate nobilitatem, potentiam prædicare:
 „habeo eum, cui nemo se comparet, divitem mun-
 „do, potentem imperio, nobilem cœlo: si talem ha-
 „betis, non refuto optionem: si non reperitis, non
 „providetis mihi, sed invidetis. Silentibus cœteris
 „unus abruptiùs: quid si, inquit, pater tuus viveret,
 „innuptam te pateretur manere? tum illa majori re-
 „ligione, moderatiore pietate, & ideo fortasse defe-
 „cit, ne quis impedimentum posset afferre. Quod
 „ille responsum de patre de se oraculum maturo sui
 „probavit exitio: ita cæteri eadem quisque metuen-
 „tes, favere cœperunt, qui impedire quærebant.
 Hæc sanctus Virginum pœdagogus.

Nolite itaque, Parentes, invito Deo Filias vestras
 obtrudere, neque denegare exposcenti, exemplum
 habetis in parentibus beatissimæ Virginis Mariæ: ne-
 que vos Virgines Deo trahenti reluctemini: at si in
 numerum Angelorum suorum vos vocet, ad exem-
 plum Beatissimæ Virginis alacriter & hilariter hæc
 Scalas conscendatis. Sunt qui vos detinere nituntur?

ampliùs ad Dominum Scalæ innixum attendite, quàm ad homines: sic fiet, ut qui nunc hasce Scalas ascenditis, ad amplexus sempiternos Sponsi cœlestis aliquando perveniatis.

Nunc ad Angelos Ascendentes transeamus, qui quid velint, ante intelligere non licebit, quàm quid ex sensu SS. PP. sit *Ascendere* cognoverimus: de quo consultus à me S. Augustinus, pluribus in locis idem esse ac in virtutibus proficere nomine omnium respondit: audite ipsum Sanctum Doctorem: „ Ascendit omnis qui proficiat, cadit omnis qui deficit: nec pedibus ascendere quæras, nec pedibus te, descendere putes: amando Deum ascendis, amando seculum cadis. Ascensionum ad Deum gradus, sunt puritatis affectus: iter tuum voluntas tua est: „ amando accedis, negligendo recedis: constitutus in terra Deo jungeris, quia quæ Deo chara, sunt diligis. Inde jam cum eodem Præsule quid hi *Angeli Ascendentes* adumbrent licet colligere, nempe in virtutibus proficientes: sic namque relatâ Patriarchæ visione in titulum Psal. 119. commentans concludit: *Possumus putare Ascendentes visos, Proficientes* quod & ibidem paulò post reiterat: *Ascendentes qui sunt? qui proficiunt ab intellectu spiritualium.* *Angeli* itaque *Ascendentes*, in virtutibus proficientes adumbrant, seu potiùs suo ascensu obligationem ad profectum Virginibus designant, de qua nunc latius agendum: quamque aliunde non deduco, licet sese offerant quàm plurimæ ejusdem scaturigines, quàm ex ipso vestro Statu: eam namq; hæctenus Scalam diximus in Ecclesiæ suæ domo à Christo erectam: quis autem Scalæ usus? nonne ad ascensum? hunc tollas,
nec

in Psal.
126.

L. de vera
innocentia
c. 251.

nec illa te indigere agnoscis: adeo que hinc colligite
 cum eam vobis is erexerit, vosque sua vocatione in
 ea posuerit, necessariò vos per eam ad se quotidie de-
 bere ascendere, tot virtutum actibus juxta D. Ber- *Epist. 53.*
 nardum, quot gradus occurrunt, idque S. Paulus, licet
 aliis verbis, inculcat: *Virgo cogitat quæ Domini sunt,* *1 Cor. 7:*
quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. *34.*
 Attendendum ad verba Apostoli non dicentis: cogi-
 tabit aut cogitavit sed *cogitat quæ Domini sunt, ut sit*
sancta, i. e. in virtutibus confirmata corpore & spi-
 ritu, intus & extra: non enim sufficit propositum
 profectus aut principium, sed ejusdem continuatio
 jugis requiritur: *cogitat*, & ad hoc, ut cogitet om-
 nesque vires suas exserat, ex vi Status est obligata:
 nunquam cessare, nunquam intepescere ei in obse-
 quio divino, licitum, sed continuò progrediendum:
 „Divinis rebus mentē intendant, (urget S. Ambro- *in Exhort.*
 „sius in illud: erunt sicut Angeli Dei,) & tanquam *ad Virg.*
 „exuti corporis infirmitate non quæ hominis sunt,
 „sed quæ Dei sunt cogitent. Angelos in Scala con-
 spicite, non quiescentes sed *Ascendentes* videtis, atque
 in iis quid vobis hisce Angelis delineatis agendum
 deducite: *Non est stare omnino in pendulo fragilis Sca-* *Epist. 91.*
la, præmonet D. Bern. *si attentas stare ruas necesse est:*
minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult, &
ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.
 Quò respiciens D. Cyprianus inter alias Virginitatis *L. de bono*
 descriptiones hæc posuit: *Virginitas quid aliud est* *pudicitia.*
quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio: quid autem in
 ea agendum, nisi jugiter assistendum Deo? *Virgi-*
nitatis est perseverans infantia, eò quòd hæc Deo ju-
 giter adhærendi obligationem inducat, quomodo

matribus suis adglutinantur infantes : Disce itaque Virgo per hæc Scalas quotidie te insinuare in cœlestium Spirituum Choros, disce ascendere & veluti infans quotidie accurrere in brachia & amplexus Domini Scalæ innixi; non nudo nomine tibi blandiaris, *ex D. Ambrosio in Instit. Virginis c. 17.* *neque enim solitaria dos pudoris est*, sed ad virtutum exercitia obligatio sub nomine tecta te provocet : notum, est scientiæ vel artis alicujus nomine indignum, qui in ea exercitatus non est, vel se non exercet : idem & vobis quæ spirituales dici amatis applicate, nisi in operibus piis continuò vos exerceatis : quæ oleum in vasis non habebant, licet lampades haberent, *Matth. 25. c.* Virgines quidem sed fatuæ appellantur, ut insinuetur à Virgine amplius quàm fucum vestis & nudam continentiam desiderari : flamma dilectionis & oleum bonorum operum adsit necesse est, si cum lampade Virginitatis ad cœlestes nuptias Virgo intrabit : *Epist. 8. ad Demetr.* „ Felix illa conscientia (scribit D. Hieronymus) & „ beata Virginitas, in cujus corde præter amorem „ Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque „ justitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur „ amor. Optarem omnium vestrum cordibus hæc me posse insculpere, & ut altius infigantur, capite hæc duo Statui vestro annexa privilegia.

Primum est eo die quo hunc, Deo vos consecrantes, inchoastis, plenariam vobis omnium peccatorum vestrorum factam remissionem, cujus præter alios testis *Epist. 25.* est S. Hieronymus, tam ad Paulam super obitum *Epist. 8.* Sillæ Filiæ, quàm ad Demetriadem Virginem. Hoc Privilegio *2. 2. 9.* ex D. Thoma gloriantur Religiosi, idque *ult. a. 3.* multis deprædicat in Antiquario Monastico *ad 4.* Epist. 4. Nebridius à Mundelheim, neque ipsis invidemus, sed

sed & vobis asserimus, & cum D. Hieronymo applicamus, qui id secundum baptismum appellat: ut autem baptismus primus, qui est janua quâ in Ecclesiam intratur, tollit peccata omnia, etiam ea quæ ante eum, si adultus sit baptizandus, admisit, omnemque peccati reatum, eò quòd sit quædam spiritualis regeneratio: ita quoque eadem postmodum admissa delet hic Baptismus secundus, quo desinens esse quod erat in seculo, quasi renascitur Deo: ex quo capite Paulam in obitu filix suæ Blefillæ solatur D. Hieronymus: *eò quòd secundo quodam modo propositi se baptismo laverit.* Sed quod propriè facit ad rem nostram, ut ratione baptismi obligatur baptizatus, ut induat novum hominem, Christi Legem profiteatur, ejusque virtutes imitetur: ita & secundo hoc propositi Virginalis baptismate nova & arctiori ratione ad hoc studium obligatur, & eò ampliùs quòd per illud in perfectiori statu collocatur: „ Nunc autem quia „ seculum reliquisti & secundo post Baptismum gratias „ du inisti pactum cum Adversario tuo, serva fœdus „ quod pepigisti, ad Demetriadem scribit S. Hieronymus. Scias itaque tum expeditas omnes tuas præteritas rationes cum Deo, ideòque te ab eo tempore novum inchoare Codicem, in quo non nova debita annotes sed merita & lucra: novamque ducendam tibi vitam tali statu dignam. Virgines selectæ pro Assuero Rege ad eum non ingrediebantur nisi postquam veteres vestes deposuissent sequeque novis exornassent: estis in Scala hac, & ingressuræ seu potiùs ascensuræ ad Regem illum ei innixum, veteres lacinias in primo ascensu exuistis, novis omnimodæ virtutis ornamentis vos induatis necesse: *Astitit Regina Ps. 44. 10.*
à dex-

Hester 2. c.

à dex-

à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: talis fit oportet, quæ dignè ascendet.

Secundum est, divinæ gratiæ abundantia Statui vestro annexa: non loquor jam de ea, cujus copiam ex ipso fonte, Eucharistiâ scilicet, fugitis & hauritis, sed de illa tantùm quam ratione Status vestri vobis debet gratiarum Author; eo enim ipso ac vestra crescit obligatio, crescunt etiam auxilia divina: *Ascensiones in corde suo disposuit: etenim benedictionem dabit Legistrator, ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Zion.* Facit huc quod in laudem castitatis fratris sui Satyri in ejus exequiis dixit S. Ambrosius, ubi eum eliganti periphrasi vocat *virtutum parentem*: quæ parens dicitur? an non illa sola, quæ prolem enititur? Virginem divinæ gratiæ semen fecundat, virtutes enitatur necessè est: & ut natura puerperæ lac suppeditat, ut proles enutriat, ita, lacte divinæ gratiæ animæ vestræ ubera intumescunt, quò adeptas virtutes perficere possitis: in necessariis nunquam deest Deus: qui Scalam vestram erexit, in ea vos collocavit, ad ascensum vires etiam suppeditabit.

Cum venia vestra à vobis peto, an huic vestræ obligationi à prima Status inchoatione usque hodie satisfeceritis? Si sic, certè congaudeo: sed timeo de multis quod non, seu potius mecum plures experiuntur contrarium: habet hîc locum quod notat Thomas de Kempis: „Si omni anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur, sed, modò è contrario sæpe sentimus, ut meliores & puriores in initio conversionis nos fuisse invenimus, quàm post multos annos professionis: fervor

& pro-

Psal. 83.
7. & 8.

De Imit.
1. c. 11.

„ & profectus quotidie deberet crescere, sed nūc pro
 „ magno videtur, si quis primi fervoris partem possit
 „ retinere. Examinet se quæque suoque se iudicio
 „ dijudicet: si quæ se ream deprehenderit, & consilium
 „ expetat ex eodem subnecto: „ Si modicam violen-
 „ tiam faceremus in principio, tunc postea cuncta
 „ possemus facere cum levitate & gaudio: patet id in
 „ simili: infantes licet pedes habeant & crura, tamen ni-
 „ si ducti progredi non possunt, assueti verò progres-
 „ sui, paulatim, quamvis tardè, progrediuntur, ac tan-
 „ dem currunt pro libitu. *Nemo repente fit summus,* *Serm. 1. de*
ascendendo non volando apprehenditur summitas Sca- *S. Andrea.*
lae, observat D. Bernardus. Infantes seu renatas vos
 dixi ad vitam spiritualem in initio suscepti Status ve-
 stri: si tum cum difficultate quadam proficiatis non
 miror, at si progressum tentetis ut tenemini, per hanc
 Scalam mysticam non ascendetis sed curretis. Legere
 non potest tyro, necessarium ut primò literas discat
 earumque copulas, tum distinctè & sine hæsitacione
 recitabit quæcunque: inde exemplum desumite
 quod imitemini: exercitium profectum & perfectio-
 nem parit. *Quomodo enim sine exercitio doctrina aut* *Ex S. Am-*
sine usu profectus? *brof. 1.*
de Off.
c. 10.

§. VII.

De Angelis Descendentibus.

EOs *Ascendentes* vidimus, videbimus modò *De-*
scendentes: & ut benè videamus, attendenda D.
 Augustini annotatio, non visos decidentes, sed *de-*
 „ *scendentes.* „ Non enim frustra non dictum est Ca- *In Titulū*
 „ dentes sed *Descendentes:* multum autem interest *Pf. 119.*
 inter